

05

A

2215





DISPUTATIO POLITICA
de
ACADEMIA,

quam

In celeberrima WITTENBERGENSIUM
ACADEMIA,

PRÆSIDE VIRO,

Clarissimo & Prestantissimo

Dn. M. MICHAELE WENDLERO,
Amplissimæ Facultatis Philosophicæ
Adjuncto,

PUBLICO EXAMINI

subjicit

HEINRICH Krause/Torgensis
Misnicus

ad diem 22. Junij

In Auditorio minori

horis antemeridianis.

WITTEBERGÆ

Excusa Typis JOBI WILHELMI FINCELII,
ANNO M. DC. XXXIX.

VIRIS

Admodum Reverendo, Clarissimis atque Excellentissimis,
Dn. JOHANNI HULSEMANNO, S. S.
Theologiae D. & P. P. Alumnorumq; Electoralium
Ephoro:

Dn. JOHANNI ERICO OSTERMANNO
Graeco Professori, Collegiique Philosophici DECANO:
Hospiti, Praeceptoribus & Promotoribus meis
venerandis.

O HULSMANNE, tuas curas sepone parumper,
Pro nobis animo quas vigilante geris.

Qui sese Musasq; suas tibi devovet uni,
Jam pulsat scripto pauperiore fores.

Cui fuit affixum Doctoris amabile nomen,
In nos ob meriti plurima facta tui.

Excipis hospitio: mensa dignaris amica:
Omni consilio commoda nostra moves.

Ex te si natus, natura patre, fuisset,
Reddere non posses munera plura mihi.

Quid ni deberem tantum prestare favorem?
Quem debent patri pignora cara suo.

Pande fores, & que porto, cape fronte serenâ,
Post, si Jova velit, nobiliora dabo.

Adjungam, OSTERMANNE, tuum quoque nomen amicis,
Auxilium cujus nostra Camæna petit.

Haec tunc in studijs his quem mea cura latebat,
Hora futura mihi conciliare potest.

Tu poteris quondam nostras extollere Musas,
Atque meum viridi cingere fronde caput.

Dignus ut accedam, WENDLERO autore, dietim
Versabo vigili dogmata quaque manu.

Interea, quos ipse probas, dignare labores
Hospitio tenui, munera parva, meos.

Hanc Exercitationem Politicam consecrat
Henricus Krause Torgensis, Autor & Respondens



05 A 2215

AUSPICE CHRISTO.

I.



Orpus, ex diversis Collegiis constans, Politicorum Magistri dispescunt in Illiteratorum & Literatorum: hocq; vocant Academiam, de qua in presentiarum noster sermo venit instituendus.

II. Academiis nunquam caruisse orbem terrarum, probat Lipsius. Nam harum vel primordia vel simulacra in Oriente, itemq; Æthiopiâ, Africâ & novo orbe ac quoq; Græciâ, Asiâ, Italiâ & Româ extiterunt. Hoc præter Lipsium & Heigius multis demonstrat. Alexandria prima schola Christianis fuit, in qua linguæ, artes & religio summâ promovebantur diligentia.

III. Scholas has majores vocamus Academias vulgò à loco, ubi Plato docebat. Antiquitus enim Plato, ut nunc ab omnibus fermè Aristoteles, summæ sapientiæ habebatur. Hæres is credebatur sapientiæ priscorum, ad quem, tanquam ad legitimum filium, doctrina priorum devoluta censebatur: forsan ut Ptolomæus primus audit, qui novem seculorum observationes Astronomicas collegit in opere magno, quod *μεγάλην σύνταξιν* vocamus.

IV. Hujus loci appellatio debetur Cadméis populis à Cadmo dictis, qui ab Argivis ejecti sedibus suis Athenas concesserunt, quas humanioribus studiis excoluerunt. Horum schola publica dicebatur Cadmea, & post Afrorum more Acadmea, tandemque Academia. Placet hæc notatio doctioribus. Aliis aliæ arident derivationes. Vide Apostatam Becmannum in de originibus L.L. pag. 149. Nos bellum hoc Philologis componendum relinquimus.

V. Alio nomine Universitates appellantur: seu, quòd ad has scholas omnibus idoneis pateat aditus: seu quòd, ut magis eruditi volunt, genera artium universa, earumque Encyclopædiam complectantur. Hæc denominatio imponi solet secundum id, quod ut plerunque. Hinc studia universalia audiunt

▲ 2

ad

ad differentiam particularium scholarum: non quòd universalia, particularibus nunquam explicatis perceptisque in Academiis proponantur. Sanè, si dicendum, quod res est, hunc titulum merentur, Philosophiam qui tractant scholasticam.

VI. Italos præ cæteris Christiani orbis gentibus hoc semper peculiare habuisse, quòd mirifico scientiarum amore flagaverint, in plurimis epistolis testatur Manutius, hujusque coætaneus M. Antonius Muretus. Laus hæc harum scholarum, resuscitantibus in Italiâ literis, Cosmo Medices, singulari Musarum Patrono, debetur. Hinc ob singularem hujus familiæ erga literas amorem satellites Jovis vocitantur Sidera Cosmica à Nuncio Sidereo, qui superiori seculo lucem vidit, Cosmo Medices Secundo dicatus. Hujus æmulatione motæ cæteræ urbes hanc gloriam & æquare & superare sedulò contendêrunt.

VII. Florente Imperio Romano, scholæ extabant municipales, in quibus literæ humaniores tradebantur. Cùm verò progressu temporum studia in his Collegiis negligenterentur, eò quòd Canonici aulicis negotiis essent occupati, docendi munus in Monasteria transferebatur. Verùm quia & Monasteria aliis ceremoniis onerabantur, non potuerunt difficile docendi munus sustinere, factumque est, ut Academia in eam, quâ nunc conspicimus, formam fuerint redactæ.

VIII. Olim doctorum hominum celebritas Academiam fecit: nunc summi Magistratus autoritas. Hinc Academiam confirmare atque privilegiis ornare ad majora summi Magistratus regalia spectat. Hic enim est dignitatum scaturigo. Interim ex consuetudine longi temporis acquiri quoque jus Academicum Politici docent. Per summum autem Magistratum intelligimus eum, qui superiorem non agnoscit, seu sit Imperator, seu Rex, seu quælibet alia Respublica. De Papâ quid sit dicendum, ex hac thesi facile potest cognosci.

IX. Hinc patet, quid nunc respondendum, num *Leida creati Doctores pro talibus sint habendi ubique?* Academia dicunt ab Ordinibus Belgicis, invito Pontifice Maximo & absque Imperatoris consensu erecta fuit. Ergò privilegia scholarum Universalium

salium habere nequit. Facilis est ad id responsio. Ordines enim hi cum superiorem non agnoscant, pari ausu atque autoritate hoc ipsum præstant, quâ vel Sueciæ, vel Daniæ Reges.

X. Academiam constituunt *res & persona*. Ad res referimus *edes, redditus, aliaque necessaria*. Domicilia æquè ac Ecclesiæ jus Asyli habent. Reditus & salaria sunt quasi vita & sanguis Academicarum, iisdemque privilegiis fruuntur, quibus res Ecclesiasticæ; harum enim habent naturam & qualitatem. Ex redditibus Professoribus talia constituenda sunt salaria, quæ & ad victum sufficiunt, & ad eorum honorem pertinent: imò ut peracto studiorum cursu senioque confecti victum habere queant.

XI. Personæ sunt vel *docentes vel discentes*. Docentes indiguntur *Professores*, in quibus requiritur *eruditio exquisita*, cum nemo, quod parum novit, docere possit; & *dexteritas docendi cum facundiâ conjuncta*, sine qua nullus est latentis eruditionis thesaurus. Non excludimus *probitatem morumque elegantiam*, quâ præluere omnibus debent discipulis; exempla enim plerumque facilius, quàm præcepta sequi solemus. Et quia Academia est quasi *emporium*, in quod omnis generis merces ex toto orbe convehuntur, ut cuivis emtori satisfiat, omnium artium & scientiarum Doctores adsint necesse est: Grammatici, Rhetores, Logici, Mathematici, Ethici, Theologi, Jurisconsulti & Medici.

XII. Professorum ordines distribuuntur in quatuor Collegia: *Theologicum, Juridicum, Medicum & Philosophicum*. Inter Professores hodie eminent *Rector & Decanus*. Rector Academicæ caput est, cujus est studiosos in album recipere, & de negotiis suæ jurisdictioni subditorum cognoscere. Hic quandoque solus partes audit, quandoque, videlicet in arduis, Consilium & Consistorium cogit, & suffragia requirit.

XIII. In Germaniæ Academiis ferè eligitur à Professoribus non ut singulis, sed collegialiter, & ex numero Professorum, vel Generosorum atque Illustrium studiosorum. In Italiâ nationum Consilarii eligunt eundem. Basiliæ studiosi quoque electioni interfunt.

XIV. Dignitas hujus quasi regia est. Ob id argentea & inaurata sceptrâ in publicis Academiæ actibus præferri videmus. Academiæ Patavinorum Rector, more Senatorum Venetorum, purpuratus incedit, aureâque potest uti stolâ, & exacto munere, donatus catenâ in ordinem equitum S. Marci recipitur. Hinc dextrum occupat latus, illustrique dignitate præcellentes anteit, nisi sit Academiæ patronus.

XV. Magistratus is nullibi fere perpetuus est, sed vel semestris, vel annuus, vel trimestris, ne unius semper hoc unus incumbat, ejusque lectiones & alias expeditiones nimium remoretur: & ut æqualitas inter eos, qui membra sunt corporis unius, eò melius conservaretur. Quamvis magna sit hæc potestas, non tamen ob id, etiam hic, brevis est; non enim in scholastico Principatu verendum, quod in liberâ Republicâ. Hic potestas nulla debet esse magna, ne ex cive Tyrannus fiat. Nam Principatus Academicus est moderatus, restrictusque, ita, ut sine consilio reliquorum Professorum & Decanorum, nil, quod majoris momenti secundum thesin 13. facere possit: In primis cum sæpe ejusmodi negotia veniant decernenda, quæ Jurisconsultorum operam maximè requirant.

XVI. Decanus eligitur, more ex militiarum scholis desumpto, in quibus Decuriæ decem erant, & una quæque Decanum suum habebat. Ita in Academiis priscis singularum facultatum deni habebantur. Quæ denominatio hodie mansit. Eligitur Decanus in singulis Collegiis, ut hujus res administraret, primumque semper in Collegio tenet locum. Huic honores Academicos assumpturi sua profitentur nomina, quos ipse toti Collegio sistit ad examen: quo peracto, si benè steterint, post in publico actu publico eruditionis testimonio ornat. Præter Rectorem & Decanum in aliquibus Academiis etiam Cancellarius emicat. In nostris Academiis ejus vices Procancellarius gerit. Cujus præcipuum munus est, potestatem promovendi Candidatos concedere.

XVII. Inter Collegia eminet Theologicum; Hujus enim scientia, tum subjecti, tum veritatis, tum & finis ratione, dignior

gnior nobiliorque cæteris. Hoc sequitur Juridicum ante Medicum, quia Jurisperitorum objectum est excellentius. Jurisprudencia versatur circa justitiam, Medicina circa hominis sanitatem. Jurisperiti magis utiles; absque Jurisprudenciâ enim, ne momentum quidem, consistere ulla Resp. potest: contra multas regiones Medicis caruisse legimus. Agmen claudunt artium Professores. In nostris Academiis consuetudine potius, quàm jure cæteris facultatibus hanc postponi, è naturæ fundamentis aliqui deducere conantur. Sed quòd hujus loci non sit, ista quæstione supersedemus.

XVIII. Discipuli sunt *Studiofi*, quorum antè quàm ad Academias mittantur, ingenia debent explorari, non è signis externis corporis, sed diligenti examine memoriæ, sedulitatis, industriæ & ratiocinationis. A studiis removeantur maturè, quibus cruciatus est studere. Ii enim plerunque dehonestamenta tantùm fiunt eruditi ordinis, & privilegia studiosorum, libertatem in licentiam vivendi vertunt. Vide Majoragij orationem. Quomodo verò juvenus in scholis Academicis informanda, pertinet ad caput de educatione. Vid. *Padiam* Venerandi senioris *D. Jacobi Martini*. Multa hîc eaque utilissima de legibus, de Bibliothecis optimè instruendis, de inutilibus denique ac Reip. perniciosis disciplinis & scriptis rejiciendis dici possent, nisi instituti ratio calamum juberet sistere. Non semper fides est habenda, qui projicit ampullas & sesquipedalia verba.

XIX. Primus in Academias Germanicas ingressus sit per ritum Depositionis, quem excipit præstatio juramenti atque inscriptio. Ritus Depositionis altâ nititur vetustate, & ex Atheniensium Academiâ ad nos manasse dicitur. Ad præsentis ritus ornamenta quantum attinet, illud vel ex usû salis & vini liquet, quibus Depositiones unâ cum cæteris requisitis religiosè peraguntur. Sal & vinum apud veteres, non nisi sacrificiis, litationibus, foederibus, devotionibus atque aliis rebus, quibus aliquid divinitatis & arcani numinis inesse putabatur, solebant adhiberi. Hic sal indicio est, studiorum primordia esse amara: vinum, fructus eorundem esse dulces.

XX. Hoc

XX. Hoc spectaculo sapiens antiquitas ed respexit, ut in novitiis Academicis reprimeretur spiritus, & animi elatio, & ut statim ab initio tractabiliores & ad subjectionem aptiores redderentur. Hunc ritum ineptum & majestati rei literariae minus convenientem, judicat Linnæus. Cui adstipulatur Marcus Fridericus Wendelinus, Gymnasii Anhaltini Rector.

XXI. Hoc in Galliâ atque Italiâ non fieri ajunt. Hujus loci est, quod Suidas scribit, quando ait: *Mithram existimant Persæ solem esse, cui & multas consecrant hostias, neque quisquam ejus sacris initiari potest, nisi per quosdam convicii gradus; quibus ostendat, se & sanctum, nec perturbationibus affici solere.* Nec infrequens est aliis artificibus, qui Tyrones suos aliquo ludicro vexationis tentant. Mercatores Belgenses in Norwegiâ Neptuni ludo suos excipiunt Tyrones.

XXII. Juramentum obligat ad id jurantem, ut Rectori in omnibus obtemperet, Academiae beneficiat, ejusque commoda pro viribus promoveat, licet ejus membrum esse desierit, & seculari jurisdictioni vel præsit vel subsit. Nam cum Academiae Rerum pub. sint seminaria, ex quibus, tanquam ex equo Trojano, proveniunt viri ad Ecclesiam & Remp. utilissimi, non immeritò Academiam dixeris matrem, quam filii ab omni injuriâ vindicare & tueri debent.

XXIII. Quanto favore, Liberalitate & munificentia scientiarum Professores & alumnos profecuti fuerint Principes, Reges & Imperatores, non opus esse puto, ut pluribus hoc loco explicetur. Centum & octoginta Privilegia à Petro Rebuffo, Jcto doctissimo, sunt collecta. Quibus immunitatibus non possunt frui, nisi qui reverà sunt studiosi, vitamque studiosis dignam gerunt. Hinc in plerisque Academiis nemo studiosorum privilegiis gaudet, quin sit *actû studiosus*. Id observari nominatim in antiquâ Lipsiensium Academia, testis est *M. Henricus Julius Scheurl*. Itemque in Academia Leydensi potentissimos Hollandiæ ordines publico edicto sancivisse, attestatur *Jacobus Bouricius*. Ac item de Academia Marpurgensium affirmat *Kirchnerus*.

XXIV. Hinc

XXIV. Hic sequi videtur, studiosos tum demum Privilegiis Academicis gaudere, quando re & nomine hunc tuentur titulum. Studiosorum privilegiis fruuntur, sine quibus literæ vel esse nequeunt, vel qui cognationem aliquam cum literis habent: Typographi nimirum, Bibliopola, Bibliopectæ, Pictores: cum primis Publici Officiales, Protonotarius, Syndicus &c. ut & Pedellus, qui Magnifico à pedibus est. Nonnulli pugiles & citbaroedas adjungunt. Jure Academico gaudent studiosorum famuli. Tandem nec hoc omittendum, Doctores non Professores, & ita, qui nec discunt, nec docent, sed Advocationis officio perfunguntur, vel expectant honestam functionem, iisdem Privilegiis perfrui.

XXV. Quomodo vidua & pupilli Professorum hæc gaudeant commoditate, Cothmannus docet. Quædam Privilegia Doctoribus & studiosis sunt communia, ut à persolvendis vectigalibus immunitas, pœnarum mitigatio, & torturæ non subjectio. Specialia sunt honores Academici, quorum hodie quadruplici sunt: Doctores, Licentiati, Baccalaurei & Magistri. Nos decet hæc tantum attingere, ne falcem in alienam messem mittamus.

XXVI. Gradus hi & honores, non, nisi bene meritis sunt conferendi, nec unquam concedendum, ut gratiosi præferantur indignis. Nam publica eruditionis testimonia, & eminentiora insignia sunt virtutis. Magna & Ecclesiæ & Reipublicæ pestis imminet, si prudentiæ & sapientiæ testimonio falso decorati incedant illi, qui adeo sæpe rudes sunt, ut doceri etiam nequeant. Non dicam, quàm ampla hæc ratione fenestra otio aperiat, atque ignaviæ. Quis Cleanthis oleo, aut Demosthenis lucernæ invigilabit? si divites indoctos summo loco, quasi eruditione venerabiliores, stare videt.

XXVII. Quamvis non omnes Hunnii, & Gerhardi, non Wesenbecij, non Sennerti, non denique Philippi aut Scaligeri esse quimus, illud tamen est observandum, ut nullus Magister aut Doctor ejus scientiæ creetur, qui alios non possit docere. Cur non illiberalium potius disciplinarum Magistros imitamur? quorum nemo Magister, quin alios doceat, habetur. Rhodus itaque & saltus suspicionem hic discutiant.

B

27. Fuerunt

XXVIII. Fuerunt introducti à Lothario Imperatore. Hic cum Anno Christi 1135. leges Romanas latino sermone scriptas in Apuliâ reperisset, admiratione & amore earum extimulatus per Irnerium, hominem Germanum, illas ipsas post quingentorum ferè annorum exilium in scholas & forum, quasi postliminiò, revocavit; huic enim Irnerio Professionem juris Romani imposuit, qui etiam anno 1137. Bononiæ istud tam feliciter interpretari cœpit, ut instaurator legum Romanarum diceretur.

XXIX. Ut autem Professioni Legum debitus tribueretur honor, Imperator gradum Doctoratûs in Academiam introduxit. Undè factum, ut hujus constitutionis primi Interpretes latini juris, Bononiæ circa annum Christi 1550. referente Besoldo, Doctores juris solenniter crearentur. A Bononiensibus ritum hunc acceperunt Parisienses, qui in Theologiâ quoque Doctores renunciârunt: inter quos primus fuisse dicitur Petrus Lombardus D. sententiarum. Inde mos creandi Doctores in Medicos est derivatus, tandemque in Philosophos quoque translatus, quibus Philosophiæ Doctores dicuntur Magistri.

XXX. Doctorum summus inter literatos gradus est, qui hodie non nisi ad Facultates restrictus est superiores. Licentia hodie appellantur in Germaniâ, qui eruditione pares Doctoribus, omnibusque defuncti examini in publicis actibus eam acceperunt Licentiam, ut, quando cunque voluerint, supremum honorem possint petere. In renuntiatione omnia iis conferuntur insignia, præter Pileum & Doctoris titulum. Magister, quasi *μαγίστρος*, appellatur, qui universæ Philosophiæ curriculo absoluto, & ad eam dignitatem studiis adductis, ut cum laude Philosophiam docere queat, privato & publico præcuntibus examini, supremum in Philosophiâ decus est adeptus. Gallis & Italis etiam Theologiæ Doctores appellantur Magistri, & quidem nostri Magistri, quia omnis doctrinæ sibi vendicant censuram, communemque omnibus navant operam.

XXXI. Baccalaureus nec à *baccalauri*, nec à *baculo* descendit,

scendit, sed à Franco. Gallorum veteri linguâ *battulo*, quod prælium denotat à *battre*. Hinc Tyrones *Battalarios* dici, ait Besoldus in Dissertatione de jure Academiarum: hincque postea in Academiâ Parisiensi, *Battalarios*, solitos fuisse nominari, qui in studiis disciplinarum rudimenta posuerant. Hanc vocem, ex etymi ignorantia in *Baccalarios*, post in *Baccalaureos* fuisse transformatam, post *Vivem Goclenius & Pontanus affirmant*. Horum creatio est ad dignitatem præparatio.

XXXII. Priores duo gradus spectant ad artes liberales; posterior solus ad Superiores Facultates. Olim & in supremis Facultatibus Baccalaurei & Magistri promovebantur, ut gradatim pervenirent ad summum gradum. Hunc morem probat *Cothmannus*, & reduci suadet. Hodie, ubique locorum ferme Germaniæ Philosophiæ habet Baccalaureos, Lipsia & Theologiæ. Præter Academicos existunt Magistri & Doctores, quos *Bullatos* nominant, extra Academiam vel à Cæsare, vel Comite, quodam Palatino creati. Hos non iisdem gaudere Privilegiis, quibus Academici Doctores, *Besoldus & Middendorpius* adstruunt. In Academiâ Patavinâ ad Professiones haud admittuntur ex Senatuconsulto singulari. Nec in Camera Imperialis Advocatorum Collegium admittuntur, cùm ordinatio Camerae requirat publicum examen. Doctoratus enim non est, inquiunt, simplex dignitas, ut nobilitas, sed fundatur in eruditione, ejusque debitâ & publicâ exploratione.

XXXIII. Cæterùm hi honorum tituli non conficiuntur sine solemnitate, ut omnibus gentibus commune fuit, in cooptationibus ordinum & Collegiorum ritum aliquem adhibere, tanquam novi honoris insigne. In renunciationibus Doctorum & Magistrorum provida antiquitas certos ritus in oculos incurrentes addidit, non ut sint inepti ludi scenici aut theatri, nec tantùm, ut reddant renunciationem conspectiorem, reverentiamque auditorum erga docentes augeant: verùm etiam, ut sint signa vocationis eorum, quibus publicum docendi, disputandi & de jure respondendi munus commendatur.

XXXIV. Primum, quod solet Promovendis tradi, est *Ca-*

thetra pro investiturâ possessionis in signum perfectionis ac-
quisitæ doctrinæ. Hoc ipso potestas docendi & disputandi ipsis
tribuitur. Hinc sequitur *Liber*, qui significat virtutem scien-
tiæ. Traditur primùm clausus insignum sapientiæ in pectore
clausæ, admoneturq; Candidatus, doctrinam typis expressam
memoriæ infigendam esse. Tantum n. scimus, quantum memoriâ
tenemus. Mox liber aperitur, ut intelligat, perpetuo studio &
lectione ad salutarem scientiæ suæ tractationem opus esse.

XXXV. Porro aptatur *Pileus*, qui solet esse vel purpureus,
vel rubeus. Imponitur capiti, cum omnis perfectio debeat esse
in capite, vel instar coronæ in certamine acquisitæ; quia Docto-
res & Magistri æquè, ac milites gladiis, Ecclesiam & Rempubli-
sam defendere debent.

XXXVI. Tandem *annulus, osculum & benedictio* sequun-
tur. Per annulum doctrinarum studia desponderi Promotis
volunt. Ut enim, mediante annulo, contrahitur matrimoni-
um inter sponsum & sponsam; ita inter scientiam & Docto-
rem vel Magistrum. Osculum, pacis & charitatis symbolum,
claudit omnia.

XXXVII. Academicos gradus suggillat Jurisconsultus
Ferrariensis, ita in practicâ, citante D. Gerhardo in Tomo VI.
de ministerio scribens: *se alicui, nisi Clerico, aut apprimè diviti,*
ut gradum Doctoris suscipiat, consulere non posse, quia per gradum
quis redigatur de libertate in servitutem, ut vivendi ratione & vite
innocentiâ aliis sit exemplo: & quia gradus non sine magno sumtû
queratur, & per hujus arumnosæ vitæ curriculum conservetur. Ita
superiori seculo Carlstadius noluit vocari Doctor, sed frater An-
dreas. Idem cum quosdam Doctores renunciaret, palam te-
status est, post se nec ullum in hunc gradum subvecturum. Te-
stantur id acta libri Decanatus Collegii Theologici hujus Acade-
miæ, in quo Lutherus subjungit suâ manû, se eidem actui inter-
fuisse, sacrilegasque voces audivisse, quod dixerit, se promo-
vendo alios scientem ac prudentem facere impiè contra dictum
Christi: *Nolite vocari Rabbi; unus enim est Magister vester.* Inpri-
mis de his gradibus sinistrè judicant Anabaptistæ.

XXXVIII. Nos in nostris Academiis hos gradus unâ cum
ritibus

ritibus & nominibus constanter retinemus. 1. Quia partim propter conservandam studiorum dignitatem, partim propter multas alias causas à summo Magistratû gravi consilio fuerunt introducti. 2. Quia honores Academici ad altiora stimulant, animosque ingenuos ad virtutem incendunt. Facit huc Solonis apud Lucianum sapienter dicentis, *quod Gymnasiorum desiderium in juvenibus accendatur, sic eos, qui optimè se gesserunt, honorari conspexerint. Honorem alere artes, omnesq; incendi ad studia gloria & jacere ea semper, quæ aut negliguntur aut improbantur,* dextrè, ut de omnibus, judicat Romana eloquentia. 3. Quia viros ad munera sustinenda explorant, ad ineptis segregant, & ad auctoritatem in officiis publicis conciliandum faciunt. Nam qui gradus hos prensant, explorantur, num iis digni sint. Quod auctoritatem concilient, negari nequit. Honor est, ait Philosophus, qui conciliat auctoritatem, & aditum parat ad præclaras actiones edendas.

XXXIX. Hos titulos nec Principes, nec nobiles contempsisse olim, annotatum legimus. Inter Principes graduum horum non puduit Johannem, Ducem Megapolitanum, Theologiae D. Parisiensem: Hermannum Hassiæ Principem, Magistrum Pragensem, ut & Rirchvium, Lotharingiæ Ducem: Georgium, Ducem Tercensem, Juris U. Doctorem: Albertum IV. Ducem Bavariæ, Baccalaureum Parisiensem. *Plura exempla Limnaeus & Lansius citant.*

XL. Quod tamen nostro hoc seculo non admodum observari videmus; præsertim in Germaniâ, quæ ad primam relapsura barbariem videtur. Causam non nemo illorum, ait non futilis auctor, publico inferere scripto non est veritus, ubi, *quod communiter, inquit, tam indoctis, quàm doctis conceditur, non est testimonium eruditionis, sed inutilis hominum otiosorum & ambitiosorum ceremonia.*

XLI. Et sanè fatendum est, magnum hîc abusum his insignibus honoribus non levem ignominiae inurere notam, dum indignis conferuntur, sitque, ut oneri potius, quàm honori sint: ut magna sit differentia inter Doctorem, Doctorisque titulum

lum. Hinc nullus querelarum est finis atque scommatum. *Prò*
Dii, canit Palingenius in Virgine, nunc nomina tantùm
Magnifica, & claros titulos sibi quilibet optat,
Arrogat, affectat, sequitur, rapit: ut meritò jam
Et si asinus Pardum vocet, & formica Leonem.
Quis non vult sapiens, generosus, justus haberi,
Et probus & doctus, contentus cortice solo
Atque umbris rerum, ut tali velamine mores
Occulat infandos? Lis est de nomine, non re.

XLII. Titulorum prophanatores exagitat Casparus Ensius
lib. 2. Morosophiæ cap. 19. *Venit stultus juvenis ad Templum, Do-*
ctoratus insignia recepturus. Praeceptores illum sui celebrant, seu a-
more, seu errore. Tumor ille, vulgus stupet, ad plaudunt affines at-
que amici. Jussus cathedram ascendit, cuncta jam ex alto quasi
despiciens, & nescio quid confusum murmurans. Tunc majores cer-
tatim, quasi divina locutum, laudibus ad coelum tollunt: Tinniunt
interim campanæ, strepunt tubæ, volant annuli, figuntur oscula,
vertici rotundus Magistralis, seu Doctoralis imponitur pileus. His
peractis, descendit sapiens, qui stultus ascenderat, & magnâ dedu-
citur pompâ, mira prorsus transformatio, nec Ovidio cognita.

XLIII. Num vitium sit penes Professores, num penes pro-
movendos multi quærunt. Modestè quidam respondent, quod
honores hi non statim dignis jam existentibus, sed ut futuris
concedantur. Hinc non admittuntur, prius, nisi sanctè pro-
miserint, sese defectus in examine deprehensos indefessâ ope-
ra recompensare velle. In plerisque Germaniæ Academiis in-
ter alia jurare tenentur, *se unum annum integrum à promotione*
prælegendo & docendo in Academiâ duraturos, eodemq; anno semel
publicam disputationem præsidendo habituros.

XLIV. Sunt & eo cum primis nomine tituli vituperandi;
cùm etiam digni iis superbiunt, aliosque præse contemnunt.
Venenum istud est pessimum. Odit Christus promotiones hu-
iusmodi, quas & interdixit. Tandem notanda & hæc studio-
rum & graduum vanitas, si scilicet non ad solum Deum, proxi-
mique commodum planè pleneque referantur.

XLV. Huc

XLV. Hucusque de personis Academiam constituentibus, ipsarumque Privilegiis: quibus pauca de loco, ubi sit Academia erigenda addimus, & præcipua Academiarum Individua enumeramus. *Locus*, si detur optio, non sit quivis promiscuè, sed *salubris*, à mari magnisque fluminibus remotus, *fertilis*, sed deliciis non nimis affluens, *non populosus*, tandemque *rutus*, & adversus hostilem incursionem munitus.

XLVI. Nam ita plurimis incommodis obviam imus. *Sanitas* conservatur, quæ in primis ad ingenii requiritur culturam. Non inquinatur Academia promiscuâ quorumvis hominum, è quovis terræ angulo confluentium sentinâ. *Victus* ratio tolerabilis est ob pauperes, non tamen in luxum effundatur *Sibariticum*, à quo Musæ abhorrent. *Studiositatem* degunt vitam, ubi nec ullum incursionum, direptionum & turbarum metuendum est periculum.

XLVII. In Germania sex & viginti numerantur Academiae: *Trevirensis*, *Vienensis*, *Basiliensis*, *Heidelbergensis*, *Coloniensis*, *Erphordiensis*, *Grypsvaldensis*, *Herbipolensis*, *Lovaniensis*, *Lipsiensis*, *Ingolstadiensis*, *Tubingensis*, *Wittebergensis*, *Moguntinensis*, *Francofurtiana*, *Culmensis*, *Rostochiensis*, *Friburgensis*, *Marpurgensis*, *Regiomontana*, *Dillingana*, *Jenensis*, *Argentinenensis*, *Helmstadiensis*, *Altorffiana* & *Giesena*.

XLVIII. Italia possidet *Romanam*, *Bononiensem*, *Patavinam*, *Mediolanensem*, *Pisanam*, *Florentinam*, *Tinicensem*, *Perusinam*, *Senensem*, *Taurinam*, *Ferrariensem*, *Salernitanam*, *Neapolitanam*, *Anconitanam*, *Placentinam*, *Parmensem*, *Maceratensem* & *Ragusinam*. Hispania novem numerat: *Complutensem*, *Salamenticensem*, *Toletanam*, *Valentinam*, *Leridensem*, *Gratanensem*, *Conimbricensem*. Gallia jactitat *Parisiensem*, *Tholosanam*, *Montem Pessulanum*, *Lugdunensem*, *Pictaviensem*, *Bituricensem*, *Aurelianensem*, *Aveniensem*, *Andegaviensem*, *Burdegalensem*, *Dolanam*, *Lausaniensem*, *Carpentoratensem*, *Cratianopolitanam*, *Cadurcensem* & *Cadomensem*.

XLIX. Reliqua Europæ regna non tam ampla sunt, neque exulta, ita tot Academiae nesciunt, Bohemia habet *Pragensem*,

sem: Suecia Upsaliensem: Dania Coppenhagensem, & quam nuper Christianus IV. Sora erexit. In Polonia est Cracoviensis & Posnaniensis; quarum hæc semper fuit obscura. Anglicæ sunt Cantabrigiæ, Oxoniensis, Legionensis & Bannochberensis. In Scotia Sancti-Andreana. Petrus Bertius plures addit in Breviario totius orbis Terrarum.

L. Ut omnia, quæ orta sunt, fatum hoc habent, ut occidant: ita & Academiae hoc cum aliis commune habent. Sic videmus, antiquissimas ferè Academiae minus florere: Parisiensem, Viennensem, Erphordiensem, Moguntinam, aliasque quàm plurimas jam enumeratas. In Pragensi ante motus Hussiticos erant studiosorum exterorum quadraginta millia. Erphordii Eobanus 1500. Auditores habuit. Jam vix Academiae umbracula existunt.

LI. Aventinus, acerrimus scholasticorum abusu sui temporis censor, scholis publicis non multum tribuit, quòd ambitio profitendi & quæstus omnia vitians corrumpat sinceritatem disciplinarum. *Ego porro, inquit Besoldus, ruinae Academicarum in genere omnium, & in specie hujus vel illius multas agnosco causas.* Multitudo Academicarum novarum veteres obfuscant, vilitatemque copia parit. Beatus Rhenanus, quò minus floreat Academia, in causâ dicit esse proventuum tenuitatem, & nimiam Gymnasiorum in Germaniâ multitudinem. Præstaret esse pauciora & frequentiora. His temporibus quamvis à Scholasticorum fermento purgata Philosophia proponatur, linguæ passim compendiosè tractentur, & aliæ Facultates cumulatè & dextrè explicentur, hæc tamen malum, quo non gravius ullum, bellum nostras Academiae afflixit, ut omnes ferè pessum iverint.

*Nostram, Jova, scholam serva, servaq; docentes,
Tempore qui Martis pessima quæque ferunt.*

FINIS.



05 A 2215


ULB Halle 3
003 783 898



VD 77

24.





DISPUTATIO POLITICA
de
ACADEMIA,

quam
Incoleberrima WITTENBERGENSIUM
ACADEMIA,
PRÆSIDE VIRO,
Clarissimo & Prestantissimo
Dn. M. MICHAELE WENDLERO,
Amplissimæ Facultatis Philosophicæ
Adjuncto,

PUBLICO EXAMINI
subjicit
HEINRICH Krause/Torgensis
Misnicus

ad diem 22. Junij
In Auditorio minori
horis antemeridianis.

WITTEBERGÆ
Excusa Typis JOBI WILHELMI FINCELII,
ANNO M. D. C. XXXIX.

